Morbio 26 (74)

PHILIPPVS DEI Gratia Hispaniarum, Vtriusq Siciliae &c. Rex, et Ill.mi Dux &c. Nomine Camilli, et Quintiliani fratrum de Scalona, oblate nobis fuerunt preces tenoris huiusmodi vz. Ser.e Rex Bona Philippi della Scalona uidentur publicata Reg. Duc. fisco M. V. et super eis facte dicuntur proclamationes in forma, in quarum termino Camillus, et Quintillius fratres dicti Philippi ad defensionem bonorum vti relictorum in bonis et hereditate quondam D. Fabrini della Scalona et substitutioni fideicommissarie subiectorum contradixerunt, et iura sua produxerunt, et quia necesse habent probare, quod bona nunc descripta, sunt illamet, que per fideicommittentem tenebantur, et possidebantur, tempore eius vite et mortis et in illius hereditate relicta remanserunt, et deinde peruenerunt in ipsos fratres Scalonos vti uocatos, et substitutos, mediante persona patris, et aui, Istaq probatio fuerit facta alias et de anno 1560 per Baptistam genitorem ipsorum fratrum in causa tunc vertente, coram mag.co D. Referen.o Cremone delegato Magistrali inter eum ex vna, et prefatum fiscum ex altera, sub pretextu quod idem Baptista vti Ciuis Mantuanus possideret illa bona in agro Cremonensi existentia, contra formam decreti M. V. facta fuit et ratione huius probationis sententiam in sui fauorem reportauit sub die nona septembris 1562. Ideo ad M. V. que pati non solet expensas superfluas fieri, ipsi Camillus et Quintillius confugiunt humiliter supplicando, mandare dignetur prefato D. Referendario Cremone coram quo pendet causa huius contradictionis, et cuicunq alij Magistratui ad quem spectet, vt testibus iam examinatis ad uerificandum genealogiam ipsorum della Scalona, ac possessionem et identitatem bonorum, fidem adhibeat, ac si in ipsa presenti causa examinati essent, vbi alias legitime sint examinati, prout speratur &c. Quibus consideratis, supplicantibus quo impense superflue euitentur morem gerendum duximus, tenore igitur presentium, mandamus Referen.o Cremone ac alijs ad quos spectat, et spectabit, ut memoratis testibus, et eorum attestationibus, quo ad probandum genealogiam, et bona fuisse in bonis fidem adhibeant, non secus ac si coram ipsis examinati fuissent, modo alias legitime fuerint recepti, saluo iure parti aduerse contrarium probandi si uoluerit. In quorum fidem presentes sigillo nostro munitas fieri, & registrari iussimus. Dat. Mediolani die xxiij. septembris. M. D. LXXX.

M. Ant. Marlianus

1580 Ind.e nona die sabbati primo m.s octobris presentes l.re ~~magistrales~~ R. D. in forma patentium presentate fuerunt pro mag.co d. Rpto [illegible] pro illos d. Camillo et Quintilio fr.es de Scalona et per eos petita fuit exec.ne qui Mag.s d. Ref.s obtulit se

1580 23/IX

Re

m. filo

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Morbio 26 (74)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-188053830X-15/fragment/page=0002